

ET MORBILLIS.

bus synochis ex sanguinis ebullitione superueniunt, separatim de ijs tractationem nullam proposuisse.

6. Nam hæ pustulæ supra communem pustularum rationem nil ferè habent, nisi quod per modum *νεϊσως* in morbis contagiosis erumpant. Deinde nec supra aliarum pustularum curationem, nisi quòd repellendæ non sint; sed potiùs, quia vi naturæ oriuntur, propellentis materiam morbosam ad ignobiliore partes: ideo omni ingenio iuuandæ & promovendæ non aliter sunt, quàm exanthemata in febribus pestilentialibus, in quibus non minus periculi est, si materia repellatur, aut ad interiora recurrat, & naturæ conatus impediat. Qua ratione ab Aëtio quoq; curantur lib. 2. Tetraferm. I. c. 129.

7. Nam in confesso est, materiam variolarum & morbillorum esse humorem vitiosum, ad cutem à natura expulsam. Deinde variolas, quia inflammationes referunt, ab humore crassiori: morbillos quæ Erysipelati similes sunt, à tenuiori magisq; bilioso oriri. Tertiò expulsionem à natura fieri, per ebullitionem massæ sanguinis, à causa aliqua naturam ad expulsionem stimulante. Verùm quæ illa causa sit disputatur à Medicis. Fernelius quia morbum hunc semper Epidemicum esse arbitratur, ad coecam & occultam aëris vitiati qualitatem refert: Cum tamen (vt experientia testatur) non semper Epidemicus sit. Deinde si esset, pueros aut eos solos non infestaret, qui hoc malo prius tentati non fuerunt.

Opinio Fernelij de causa variolarum & morbillorum.

8. Concedimus quidem aërem vitiatum causam esse, quod vitium hoc contagio serpat, & eodem tempore plures inficiat. Verùm quod omnes ferè homines semel vt plurimum afficiantur: Deinde quod illi, qui hoc malo semel tentati fuerunt, rarissimè iterum corripiantur: negamus causam eius externam esse, vt aërem, omnibus tam qui prius hoc